

capitis ferietur gladio ultore prostratus, quicunque Jus-
tis nostris obsequium denegaverit.

XIII. *Auruspex* sive *Auspex*, cujus in hac Lege, aliisq; fre-
quens mentio occurrit, dictus fuit, qui hostiis & extis live
visceribus pecudum (quas idolis Gentilitas immolabat) in-
spectis futura prædicebat; atque hinc ars sive professio ex
simili inspectione futura prædicandi *Auruspina* dicebatur.
De his vide *Can. 1. caus. 26. q. 3.* item *Can. 14. ead. caus.*

XIV. Mathematicus hic pro Astrologo accipitur. "Astro-
logi autem dicti eo quod in astris augurantur," ait Grati-
anus in *Can. 1. caus. 26. q. 3.* additurque in eodem Canone:
"Genethliaci appellati sunt propter natalitiorum confide-
rationes dierum. Geneses enim hominum per duodecim
cæli signa describunt, siderumq; cursu nascentium mores,
actus & eventus prædicere conantur: id est, quis quali signo
fuerit natus, aut quem effectum habeat vitæ, qui nascitur.
Hi sunt, qui vulgò Mathematici vocantur, cujus supersti-
tionis genus constellationes Latini vocant, id est, notatio-
nes siderum, quomodo se habeant, cum quisq; nascitur."
Hæc ex citato Canone, quem sub nomine S. Augustini ex-
hibet Gratianus; sed uti notant Correctores Romani, ple-
raque non extant apud Augustinum, "sed sunt in libello
Rabani De *Magorum præstigiis*, quem ipse Rabanus ex
variis Augustini & Iudorū locis collegit, & Gratianus sæ-
pè citat sub nomine Augustini."

Rectè hic notatur, prædictum libellum ex dictis S. Au-
gustini esse collectum; nam & citata verba saltem quoad
substantiam habentur apud S. August. *lib. 2. De Doctrina
Christiana c. 21.* ubi latè agit de his qui Genethliaci propter
natalium dierum considerationes, nunc autem vulgò *Mathe-
matici* vocantur, quorum superstitionem perniciosam &
fallacem ibidem exponit & refutat.

Hos eisdem quoque S. Augustin. *lib. 4. Confess. 3.* ap-
pellat *Planetarios*; referturque locus Augustini à Grati-
ano *Can. 8. caus. 26. q. 2.*

XV. Augures sunt (ait citatus *Can. 1.*) qui volatus aviū, &
voces intendunt; aliaque signa rerum, vel observationes
improvisas hominibus occurrentes ferunt. Idem sunt &
auspices. Nam auspicia sunt, quæ iter facientes observant.
Dicta autem sunt auspicia, quasi avium spicia, & auguria
quasi avium garrula, id est, avium voces & linguæ. Item
augurium quasi avigerium, quod aves gerunt.

XVI. Vates hic sumi possunt pro iis, qui quasi spiritu pro-
phético, & tamquam *Deo pleni* de futuris vaticinantur; qui-
que & *Fanatici* dicti, qui vi Numinis interiori se agitari sin-
gebant; unde & *Divini* dicti sunt. Divinitate enim plenos
se esse simulant, & astutâ quadam fraudulentâ hominibus
futura conjectant, ut dicitur in allegato Canone 1.

XVII. Hos itaq; generatim consulti vetat hæc Lege Con-
stantius; & quidè sub pena *capitali*. Imò non tantum in hac
Lege nominatim expressos, sed & omnes generatim Sortile-
gos, sive ope dæmonum futura prædicentes hæc Lege com-
prehendi; omnemq; perniciosam illâ *divinandi* arte dam-
nari fat innaunt hæc verba legis: *Et ceteri, quos maleficos
ob facinorum magnitudinem vulgus appellat.* Item: *Sileat o-
mnibus perpetuo divinandi curiositas.* Unde huic Legi in Co-
dice Theodosiano subjicitur hæc cõpendiosa interpretatio:
"Quicumq; pro curiositate futurorum, vel invocationem
dæmonū, vel divinos, quos ariolos appellant, vel Aruspici-
cem, qui auguria colligit, consuluerit, capite punietur."

XVIII. Extat alia ejusdem Imperatoris Constantii Con-
stitutio in *L. 6. Cod. De Maleficis*, de Magia, sive de magicis
artibus in hæc verba: "Multi magicis artibus usi, elementa
turbare, vitam infantium labefactare non dubitant, &
Manibus accitis audent ventulare, ut quisque suos confi-
ciat malis artibus inimicos; hos quoniam naturæ pere-
grini sunt, feralis pestis absumat."

Habetur & hæc Constitutio in *L. 5. Cod. Theod. ead.* ubi pro-
visi, legitur *ausi*: ut sensus sit, *multi magicis artibus ausi ele-
menta turbare, vitas infantium labefactare audent.*

Hanc lectionem ut rectiorem & veriorè probat Jacobus
Gothofredus ad citatam *Legem 5.* in Codice Theodosiano;

notatque, quod Constantius duplicem audaciam hæc per-
stringat Magorum ad inimicos suos conficiendos, elemen-
torum scilicet turbationem, & Manium evocationem.

XIX. Magicis artibus elementa turbari passim notum est,
vocanturq; ob tempestates per elementorum turbationem
excitatas *Tempestarii*, de quibus in Legibus Visigothorum
legitur *lib. 6. tit. 2. lege 3.* "Malehici & immissores tempe-
statum, qui quibusdam incantationibus grandinem in vi-
neas, mellisque mittere perhibentur." Et *lib. 1. Capitula-
rium Regum Francorum c. 62.* "Præcipimus, ut nec caucu-
latores, nec incantatores, nec *Tempestarii*, nec obligatores
fiant. Et ubicumque sunt, emendantur, vel damnentur."

XX. Et de his *Tempestariis* insignis locus S. Agobardi
Archiepiscopi Lugdunensis in Libro de *Grandine & Toni-
truis c. 1.* "In his regionibus penè omnes homines nobiles
& ignobiles, urbani & rustici, senes & juvenes, putant, grâ-
dines & tonitrua hominū libitu posse fieri. Dicunt enim,
mox ut audierint tonitrua, & viderint fulgura, *Aura le-
vatur, vattia est.* Interrogati verò, quid sit *aura levatur*, alii
cum verecundia, parum remordente conscientia, alii au-
tem confidenter, ut imperitorum motus esse solet, confir-
mant, incantationibus hominum, qui dicuntur *Tempesta-
rii*, esse levatam, & ideo dici *levatiam, auram.*"

Hunc vulgi errorem ibidem rejicit Agobardus.

XXI. Addit Constantius: *Et Manibus accitis audent ven-
tilare, ut, &c.* hoc est, nonnulli magicis artibus, animas seu
spiritus defunctorum inelamare, & quasi de inferis accite
audent, quo inimicos suos conficiant.

De hæc specie magia tamquam suo tempore usitatissima
loquitur Tertull. Libro de Anima *cap. 57.* "Publica jam
littera est, quæ animas etiam juxta ætate sopitas, eua pro-
ba morte disjunctas, etiam promptâ humatione dispun-
ctas evocaturum se ab inferis in incolatu pollicetur."

XXII. At hæc sæpe phantasma dumtaxat esse, ac sensibus
hominum illud per dæmoniacas præstigijs, ibidem monet
Tertullianus: "Sic in illa specie magia, quæ jam quiescentes
animas evellere ab inferis creditur, & conspectui exhi-
bere, non alia fallacia vis est operatio. Planè quia &
phantasma præstatur, quia & corpus affingitur; nec ma-
gnus illi, exteriores oculos circumscribere, cui interio-
rum mentis aciem excæcare persiciale est."

Qui hæc arte utuntur, vulgò *Necromantici* vocantur.

XXIII. Itaq; hæc Lege Constantinus statuit, ut si qui ausi
sint, vel elementorū turbatione, vel accitis Manibus per ma-
gicas artes suos inimicos labefactare, hos *feralis pestis absum-
mat.* Per feralis pestem hic intelligi *vivis comburium*, putat
Jacobus Gothofredus; ibidem ostendens, quâ ratione hæc
pena dicatur *feralis pestis*. Notaturq; in appendice ad Ar-
restâ Paponii *lib. 22. tit. 3.* quod adversus eos vel eas, qui,
quæ ve execrabile comiserunt sortilegijs, constituta sit pena
ignis; atque ita plerumque Arreitis Curia puniti fuerint.

XXIV. In *Lege 4. Cod. de Maleficis* legitur quoque sub
nomine Constantii M. "Eorum est scientia puniendâ, & ele-
verissimis merito legibus vindicandâ, qui magicis accitis
artibus, aut contra hominum moliti salutem, aut pudicos
ad libidinem deflexisse animos derogentur." Horum inci-
tamentorum ad impudicos amores per artes magicas me-
minit S. Augustin. *lib. 10. de Civit. Dei c. 11.* & plura refert
in hac rem Jacobus Gothofredus ad *L. 3. Cod. Theod. de
maleficis*; & Gregorius Tholosanus in Syntagmae Juris
universi *lib. 34. cap. 12.* ostendit, quomodo etiam rebus
sacratissimis ad hæc maleficia abutantur.

xxv. Omnem ergo illam scientiâ magicâ, quæ ad hominū
nocumentū veritur, severissimè puniendâ dixit Constanti-
nus. Sed quid, si hæc scientia non ad nocumentū, sed potiùs
ad salutem & commodum homini procuranda serviat, & adhi-
beat? Id licitum putasse Constantinum in hac Lege aliqui
crediderunt. Verbis enim supra relatis subjungit immediatè
tamquâ priorum verborū moderativa: "Nullis verò crimi-
nibus implicanda sunt remedia humanis quaesita corpo-
ribus, aut in agrestibus locis innocenter adhibita iustis-
q; ne maturis vindemijs metuerentur imbres, aut ventis
gran-

grandinisq; lapidatione quaterentur; quibus non cujus-
quam salus, aut æstimatio læderetur, sed quorum profice-
rent actus, ne divina munera & labores hominum sterne-
rentur.

Ex his itaq; statuunt nonnulli, Constantinum quidem
interdixisse magicas artes, sive incantationes sive incanta-
menta (quæ hic *suffragia* dicuntur) adhiberi in hominum
nocumentum; sed ea probasse si ad salutem ipsorū, aut fru-
ctuum conservationem adhiberentur. Unde Petrus Tolosa-
nus in Syntagmae Juris universi *lib. 34. cap. 18.* alleveranter
ait: Scio leges Codicis Justinianeæ, magiam illam, quæ salu-
tem & bonum aliquod procurare videtur, non improba-
se. Deinde citat hæc legem quartam.

XXXVI. Ita hæc legem intellexisse Leonem Imp. qui vul-
gò *sapiens* dictus est, patet ex ejus Constitutione 65. *De In-
cantatorum pena*; ubi expressè asserit auctorem hujus legis
probabilè incantationes illas, tamquam fructus & Segetes cu-
rent, aliaque bona (ut quidem videtur) suppeditent.

XXXVII. Hanc legem ipse Leo, ex *legum quasi fundo rol-
lendam* putavit. Deinde rationem subjicit: "Nos istiusmodi
incantationes perniciosas esse persuasum habemus: & ut
boni quidpiam inde manare credamus, induci non possu-
mus. Ac sanè etiam si boni quidpiam producere illas ap-
pareat (quomodo quidem approbanti ipsas legi videtur)
non id bonum esse, sed illecebram atq; nalam, quæ ille-
ctos in malorum omnium extremum, ubi à summo bono
excidant, absorbeat, compertum habemus."

Tandem nonnullis interpositis concludit: Sanè verò si
quis aliquo modo incantamentis usus esse deprehensus
fuerit, sive id restituendæ conscientia & valetudinis, sive
avertendæ à rebus frugiferis calamitatis causâ fecerit, is
apostatarum penam subiens supremum supplicium susti-
neto.

XXXVIII. Non desunt, qui credant Leonem sensum hujus
Legis haud fuisse assequutum: noluisse Constantinum in
hac Lege probare incantationes magicas ad conservatio-
nem segetum, vel salutem corporum procurandam; sed tan-
tùm declarasse per priorem partem suâ Constitutionis, pro-
hibita non esse remedia humanis quaesita corporibus, hoc est
remedia que non ars magia, sed natura suppeditat: qualia
nonnumquam & cantamenta ad leniendum dolorem esse
possunt, uti ostendit Jacobus Gothofredus ad hæc legem in
Codice Theodosiano.

XXXIX. Quidquid sit, hoc certum est jam pridem & sa-
ceris Canonibus & Imperatorum Sanctionibus, & Patrum
Scriptis damnatas fuisse generatim incantationes & magi-
cas artes, tametsi ad salutem procurandam adhibitas.

XXX. Scribit Ammianus *lib. 16.* de Constantii Imp. tem-
poribus; Si quis anile incantamentum ad leniendum adhi-
bisset dolorem, reus delatus, penaliter interibat. *Et l. 19.*
testatur, ut veneficos pronuntiatos reos capitis interisse, si
qui remedia quartana, vel aliterius doloris collo gestaret.

XXXI. Synodus Ancyrana sub initium sæculi 4. *Can. 24.*
ait: Qui vaticinantur & gentium consuetudines sequun-
tur, vel in suas aedes aliquos introducunt, ad medicamen-
ta arte inveniendâ, vel lustrationem in quinquennii Ca-
nonem incidant, secundum gradus definitos: tres annos
substrationis, & duos annos orationis sine oblatione.

XXXII. Et S. Joannes Chrysostr. *Homil. 43. in Matth.*
c. 23. invenitur in eos qui suâ ætate philacteria ad collum
suum appendebant, vel partem aliquam Evangelii scriptam
quasi virtus Evangelii in litterarum figuris sita fuisset. Neq;
dubitatur idem S. Doctor *Homiliâ 8. in Epist. ad Colossenses*,
comparare aliquatenus martyrio contemptum harum vani-
tatum; quasi vitam potiùs amittere, quam has supersticio-
sas vanitates adhibere malint.

XXXIII. Ex Capitulis Martini Bracarensis refert Grati-
anus *caus. 26. q. 5. Can. 3.* "Si quis autem Paganorum consue-
tudine insequens Divinos & Sortilegos in domum suam
introduxerit, quasi ut malum foras mittant, aut maleficia
inveniant, vel lustrationes Paganorum faciant, quinque
annis pœnitentiam agant."

XXXIV. Hic conforme est Responsum Alexandri III.
in *Cap. 2. De Sortilegijs*. Expositum erat Pontifici, quem-
dam Presbyterum cum quodam infami ad privatum lo-
cum accessisse non eâ intentione ut dæmonium vocaret,
sed eâ intentione ut inspectione astrologii, *furtum* cujus-
dam Ecclesiæ posset recuperari. Respondit Pontifex: "Ve-
rùm licet hoc ex bono zelo & simplicitate se fecisse pro-
ponat, id tamen gravissimum fuit, & non modicam inde
maculam peccati contraxit."

Deinde mandat, ut huic Presbytero pœnitentia pro
expiatione illius delicti imponatur, quod per annum & am-
plius, si Episcopo visum fuerit, ab altaris ministerio præci-
piatur abstinere.

XXXV. Unde rectè declaravit Facultas Theologica Pari-
sienfis anno 1398. *art. 5.* eos falli, qui credant licitum, uti ad
bonum finem arte magicâ aliisq; superstitionibus, quas De-
us & Ecclesia damnant.

Quin & addit *art. 6.* sine errore sustineri non posse, lici-
tum esse, quin & permittendum esse, maleficium maleficio
tollere. Verba sunt: "Quod licitum sit, etiam permittendum
maleficia malefici repellere: error."

XXXVI. Id ipsum & expressè Rituale Rom. dicens: "Ali-
qui (dæmones) ostendunt factum maleficium, & à quibus
sit factum, & modum ad illud dissipandum; sed caveat ne
ob hoc ad magos, vel ad sagas, vel ad alios, quàm ad Eccle-
siæ ministros confugiat, aut ulla superstitione, aut alio
modo illicito utatur."

XXXVII. His omnibus tandem consentiunt recentiores
tum in Belgio, tum alibi celebratæ Synodi, generatim om-
nem usum artis magicæ & cujusvis superstitionis, tametsi
ad sanitatem corporis, vel animalium, vel conservationem
fructuum, aut rerum perditarum recuperationem, aliumve
honestum finem adhibiturum.

XXXVIII. Synodus P. II. Cameracensis *tit. 1. c. 7.* ait: Sig-
na vel imagines, annulive, orationes scriptæ, vel, ut vocant
brevia characteribus, aut nominibus incognitis impressa,
ne ad alicujus morbi hominis; jam entive curationem ad-
hibeantur, ne etiam ligaturæ matrimonii actum impedi-
entes; aliave veneficia, vel fascinoles superstitionis ob-
servatione fiant, aut dissolvantur, nec vulnera aut plagæ
ulla superstitione adhibito signorum, verborum, aut pre-
cum numero, linteolis, vel alia, quæ à Medicis comproba-
ta non sit, ratione curentur."

Et altera Synodus D. Cameracensis anni 1604. *tit. 1. c. 8.*
agit adversus eos, non tantum, qui magos divinatores,
sagas, Agyptios, aliosve similes, super futuris eventibus,
qui à libera pendunt hominum voluntate, super furto ab-
latis, absconditis thesauris, rebus deperditis, alijsq; occul-
tis consulunt, aut consulti mandant; sed & in eos, qui re-
rum occultarum cognitionem, per cribri, annuli, vel alte-
rius rei agitationem explorant."

Dein *c. 9.* mandat, ut, ea omnia quæ certas personarum,
temporum, numerorum, locorum, & similiarum rerum,
observationes corporisq; compositionem ac certorum
esculentorum & potulentorum summptionem ita requi-
runt, ut qui ea prætermiserit expectato fraudetur effectus;
tamquam vana & superstitionis, vel de superstitione admo-
dum suspecta, de medio tollantur, nisi arte Medica, Eccle-
siæ Constitutione, aut consuetudine per eandem approba-
ta præscribantur.

De variis superstitionibus ex observatione temporum
vide Thiers in Tractatu de Superstitionibus *c. 5.* Inter vanas
& superstitionas observationes personarum merito referatur
illa, hodie sat frequens etiam inter homines non vulgares,
quæ creditur unus intra annum moriturus, si *tredecim* li-
mul in mensâ accumbant; secus si majore vel minore nu-
mero sint: quam observationem planè superstitionis esse
evidenter colligitur ex regula superius ex Synodo Mechli-
niensi adductâ, & ab omnibus probatâ.

XXXIX. Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 5. c. 1.* ait: Ne-
mo ad morbos vel vulnera hominum aut brutorum cu-
randa superstitionis remedijs utatur, vel super rebus deper-
ditis

ditis aut super futuris eventibus, ac quibusvis secretis, divinos seu pro divinis se venditantes, consulere præsumat.

XL. Deinde c. 3. ponit regulam, è qua dignosci queat, num quid superstitionis sit; vultque, ut Parochi subditos suos diligenter de superstitionibus doceant, & inter cetera, superstitionis esse, expectare quemcumque effectum à quacumque re, quem res illa nec ex sua natura, nec ex institutione divina, nec ex ordinatione vel approbatione Ecclesie producere potest.

XLI. Hanc regulam licet non iisdem verbis, expresserat Synodus P. I. Mechliniensis *sic de Superstitione* docens, omnem illum rerum usum esse superstitionis, qui sine verbo Dei & Ecclesie doctrina sit, præscriptis aliquibus ritibus & observantiis, quarum rationabilis causa reddi non potest, & fiducia in eis collocatur, certò expectandi aliquid eventum, qui sine illis ritibus ex Sanctorum intercessione non speraretur; aut quæ in cultu Sanctorum ex temeritate, ac quadam levitate potius, quàm pietate & vera in Deum religione, fieri videntur.

XLII. Huic Regule in infantes alia passim Synodi Belgicæ varias exinde observationes etiamnum hodie usitatas, superstitionis esse concludunt.

Synodus Silvæ Ducensis sub Metso postquam probavit regulam in Synodo Mechliniensi I. propositam, declarat ad profanam superstitionem pertinere, quòd nonnulli illicitis & insolitis medicamentis, ligaturis, amuletis, chartulis, litterarum incisuris, aut rebus consecratis, verbisque sacris extra probatam medendi rationem ad morbos hominum depellendos, febresque curandas, aut pecudes sanandas utantur.

XLIII. Post hæc concludit, Ac ideo mandamus omnibus Parochis nostris, ut fidelem populum doceant usum dictarum rerum ad effectus hujusmodi, & similes consequendos, absque gravi peccato contra primum Decalogi præceptum adhiberi à quocumque non posse, cum illa ad occulta quadam cum demonibus inita pacta pertineant.

XLIV. Synodus Namurcensis 1639. *sic. 4. c. 1. ait*: Nullus se, vel animalia, à morbo curari, & à periculis præservari procuret per superstitionem, aut verba magica; & quod gravius est, non consulat divinos, aut cribrum verti curet, ad cognoscendum, quis rem suam, vel alterius furripuerit, aut sibi malum intulerit.

Observatio in vertendo cribrum, cujus hæc Synodus meminit, hodie in aliquibus locis satis adhuc usitata est; ac per eam non raro etiam innocentissimi in suspicionem criminis adducuntur: unde merito hic invigilant Episcopi & Pastores. Vocatur hæc *divinatio* apud Petrum Tholosanum loco citato c. 3. *Coscinomania*.

Altera recentior Synodus Namurcensis anni 1659. *sic. 14.* post expressis verbis renovatam regulam in Synodo P. II. Mechliniensi propositam, subjungit c. 6. Monebunt Pastores parochianos suos, abstinere à remediis quibus præterduntur nosci occulta, & à vulgari consuetudine circumligandi arbores pro ubertate fructuum & infortuniis, patibula pro cessatione febrium, & à peregrinationibus per imperitas mulierculas fugestis, & aliis similibus.

XLV. Addit c. 7. Monebunt etiam abominandam esse eorum vanitatem, qui certo numero & præscripta formâ verborum & precum afferunt certas animas semper è purgatorio liberari. De hac abominanda vanitate videri possunt, quæ dicta sunt *parte 2. tit. 37. c. 6.*

XLVI. Plures superstitionum species refert & reprobat S. Carolus in Concilio Mediol. *parte 1. c. 10.* & infinita penè signa, & verborum formulas, quibus homines vulgares passim utuntur vel ad investigationem furorum, vel ad maleficia, aut ad recuperandam sibi vel brutis suis sanationem à morbis vel vulneribus, aut ad conservationem frugum, aliumve effectum, nominatim recitat Joannes Baptistus Thiers in tractatu *de Superstitionibus*; quem merito Parochi in hac materia consulunt, utpote plura referentem, quæ hodie multam frequentantur.

XLVII. Et sicuti pristini Reipublicæ Moderatores hisce

maleficiis & superstitionibus eliminandis etiam suam operam impenderunt; ita & Principes nostri varia Edicta contra Maleficos, Divinos, Incantatores & similes; nec non in consulentes, sive opem eorum expetentes, diversis temporibus ediderunt.

Imprimis Edicto criminali anno 1570. *art. 60.* jubentur puniri generaliter magi sive malefici secundum Jus scriptum. Et Edicto Alberti & Isabellæ ad Synodum Mechliniensem *art. 13.* sancitur, ut nemo prædictionibus & arcanorum revelationibus superstitionis se addicat; per petuo exilio multandus, gravibusque pœnis etiam coëceantur consulentes. Verba sunt: *Ende wvillende voorts verhoeden ende voorkomen alle occasien van superstitie, verbieden allen ende eenen jegelycken. van vvat qualiteyt oft conditie sijn, hant te onderwvinden oft moeyen met vvaerseggingen van roecomen de oft openbaringhen van verborghen saeken: ende so verre deshalven eenige beicht oft schuldigh bevonden souden vvoorden ordonneren vvy vvel ernstelycken alle onse Rechteren; ende aen die van onse vvalsalen, de selve te bannen vvoor altoos buyten onse Landen ende Provincien, straffende met groote boeten oft anderssins die gene, die tot alshke te raede gaen.* Id est: Cupientes insuper avertere & occurrere occationibus quibusvis superstitionis, inhibemus omnibus & singulis cujuscumque; qualitatis aut conditionis extiterint, ne operam dent, aut se immisceant prædictionibus futuri, aut detectionibus rerum arcanarum; nisi autem his non obstantibus quipiam accusetur aut deprehendatur reus, mandamus urgentissimi quibuscumque, nostris & Subditorum nostrorum Judicibus, ut eos perpetuo extra ditiones nostras & Provincias exilio damnet, gravibusque multis aut aliter in eos animadvertant, qui tales consulunt.

Deinde *art. 4.* statuitur, ut adversus magos & maleficos serio & diligenter procedatur, juxta Litteras Regias ad Episcopos omnes atque Concilia missas 20. Junii 1592.

Habentur hæc Litteræ ad calem Synodi Antverpiensis sub Miræo; item *parte 2. Edictorum Flandrie lib. 1. Rubricâ 1.* His Litteris Rex mandat, ut in omni generis Soritegos, Genethliacos, Astrologos judiciarios, Maleficos, Superstitiosos, omnes Judices diligenter infurgant Praelati, per Pastores & Concionatores populum instruant, Judices Ecclesiastici & Sæculares officio fungantur; ii secundum Canones & Constitutiones Apostolicas; illi secundum Leges & Edicta Episcopi & Officiales & Promotores diligentiam præsentent similiter Concilia, Magistratus, & Officia.

XLVIII. Præter hæc Edicta generalia contra magos & maleficos sunt insuper quædam specialia contra eos, qui sub vulgari nomine Egyptiorum hic solent vagari, quos Carolus V. & Philippus II. suis respectivè Edictis de 15. Feb. 1537. & 2. Sept. 1560. & *art. 6. Additionis 2. ad Latum Introitum*, sub pœna confiscationis eorum & bonorum, eorumve assecelas, vel qui se tales dicent, aut eorum habitu uterentur, veterent in his Ditionibus verfat. De horum hominum in Europam adventu agit Pasquet *lib. 4. Recherches c. 17.* Hoc hominum genus uti solet *chiromantia*, id est, divinatione ex inspectione manuum, atque ea mediante de annis vitæ, factis vel insauctis eventibus multa divinare & prognosticare; & hisce fallacis simplicibus fallere, & pecunias enutgere.

XLIX. In *Canone 10. caus. 26. q. 5.* refertur ex S. Gregorio ad Januarium Episcopum, quòd si Episcopus exhortatione sua nequeat aurispices atque sortitegos ad emendationem revocare, possit eos, si quidem servi sunt, verberibus cruciatibusque; quibus ad emendationem pervenire valeant, castigare; si verò sunt liberi, inclusione dignâ, districtaque sunt in penitentiam redigendi, ut qui salubria, & à mortis periculo revocantia audire verba contemnunt, cruciatus saltem eos corporis ad desideratam mentis valeat reducere sanitatem.

Hic verbo *verberibus* annotat Glossographus: Cum hic scribatur Episcopi; patet hoc crimen *Ecclesiasticum* esse.

L. Notat Choppinus *lib. 2. de S. Polit. tit. 2. n. 11.* ad conformem esse veteri Senatû consulto, quo anno 1282. Sylvanctensis Præsul ad judicata fuit cognitio in sagas & falsamati-

ces mulieres, quæ antea hujus sortilegii nomine relaxate fuerant in numerum reorum coram Sylvanctensi Regia Propratore. Arreftum refertur p. 7. styli Parlamenti *Arrefto 72.*

LI. Verum uti ibidem notat Choppinus, postero sæculo in contrariam sententiam adenatu Parisiensis itum est, ne hujusmodi veneficæ incantatrices mulierculæ ad Sacros Magistratus remitterentur, Arrefto contra Episcopum Parisiensem prolato anno 1387. quod refert Joannes Galli *q. 241.* & Torneus *litt. S. c. 42.* ubi una remittit ad Ludovicum Charondam, qui *lib. 9. Respons. 43.* probat, criminis hujus cognitionem spectare ad judicem Civilem; qui & refert ibidem formam instituendi processum super hoc crimine, pluresque sententias à Justice Civili prolatas; additque Torneus, *id jam esse usitatum & communi praxi receptum.*

LII. Nihilominus Joannes Paponius *lib. 2. tit. 3.* relato Arrefto cujus meminit Joannes Galli, quod supra retulimus, factum, alterum contrarium Arreftum extare inter judicia, concilia, & arrefta Parlamenti Samartiniiani 1582. de tribus mulieribus sortilegii accusatis, quæ ad Episcopum Parisiensem remissæ fuerunt.

Conjecturam suam hujus contrarietatis adjungit Paponius, Ex eo, forsitan; quòd de fide inquirendum videbatur adversus eas, in præcedente verò quæstio de eo non erat.

Si hæc Paponii conjectura praxim Gallia attingat, & ei conveniat, haud difformis erit praxi Belgicæ, prout hæc expressa est in Concordatis Brabantia inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem. De judice enim hujus criminis ibidem *tit. 9. art. 15.* dicitur, De criminibus sortilegii, divinationis maleficii, & consulentium eos, cognoscat, & puniet judex Sæcularis solus, nisi quando prædicta crimina fierent per invocationem demonum, aut abnegationem *fi dei*, quo casu cum sapienter hætesim, Episcopus aut Inquisitor cognoscat, ut in articulo hæresis dictum est.

Distinctionem hic in Concordatis expressam etiam approbat Petrus Tolofanus in Syntagmate Juris Universi *lib. 34. c. 15.*

LIII. Cæterum quisquis sit hujus criminis judex, indubitatum est, summâ prudentiâ & circumspectione hic procedendum esse: eorum certum sit, multa frequenter magicis & diabolicis artibus adscribi, atque ex commercio diabolico perpetrari existimari, quæ naturales causas habent; aut certe non nisi phantastica & illusoria sunt hominum figmenta.

Imò nonnumquam demon suis proligiis homines, præsertim mulierculas ita movere, aut earum phantasiam turbare potest, ut reverà credant se, nescio quæ, cum demone commercia habere, atque de his interrogatæ etiam fateantur & ex ordine etiam cum quadam certitudine, ut ipis appareat, deponant, mira sibi obvenisse, atque cum demone tractasse, quorum tamen nihil subest; quam in rem videre licet *Canonem 22. caus. 26. q. 5.* Videri etiam possunt quæ habent Abulenſis in *Cap. 13. Genesis q. 354.* & Cajetanus in 2. 2. *q. 95. art. 3.* apparebitque quòd non raro fallunt mulieres quæ credunt, & pro indubitato afferunt, se ope demonis ad certum conventum sagarum translatas fuisse, atque mira cum demone gessisse & loquutas fuisse. Quin & admodum verisimile est, translationes illas ad sagarum conventus esse meras demonis illusiones, & mulierculam vehementes imaginationes; neque illis fidem esse adhibendam, nisi de earum veritate ex certis argumentis constiterit.

A pluribus jam pridem observatum & notatum fuit, quòd illis in locis, ubi sagæ aliquo numero trahuntur ad judicia, & veluti tales condemnantur, ordinariè plures alie mulieres sibi persuadeant, quòd & ipse sint sagæ; forti nimirum imaginatione, ex illis quæ de sagis audiunt cerebrum suum ita occupant, ut sibi persuadeant se quoque illa, aut fecisse aut passas esse, de quibus priores fuerant accusatæ. Et hinc fit, ut per ejusmodi inquisitionem, sagarum, ut creduntur, numerus mirè multiplicetur: & ex adverso, ubi de sagis non fit per judices inquisitio, pauciores inveniuntur de hoc crimine suspectæ.

LIV. Quamvis crimen sortilegii hodie ferè sit cognitio-

nis judicis Sæcularis, atque ad judicem Sæcularem ejus punitione spectet; nihilominus certum est, Episcopos & Pastores non tantum posse, sed & teneri de hoc crimine, omnique superstitione inquirere, sollicitèque examinare omnia, quæ aliquam superstitionis speciem præferunt, populumque sibi creditum sollicitè instruere, in quo hujus criminis & superstitionis malitia consistat, & quàm periculosum sit, in morbis aliisque adversitatibus ad hæc remedia superstitionis, quibus diabolus se immiscet, recurrere.

Unde Rex noster in Litteris 20. Junii anni 1592. ad Episcopos & Concilia Regia missis (quarum supra mentio facta est) postquam retulit, quomodo ea quibus malefici & sortilegi utuntur, & hominibus imponunt, sint meræ fraudes demonis, vult, ut Praelati Ecclesiastici indilate injungunt Praefatoribus & Concionatoribus, ut moneant diligenter & frequenter populum, ut hujusmodi impostores & illusores, tamquam vera diaboli instrumenta fugiant, unà admonentes, ut hoc crimen horreant & detestentur tamquam à Deo pariter & hominibus vetitum. Verba Litterarum sunt: *Scavoir est que les Prelats Ecclesiastiques ordonnent incontinent aux Pasteurs & Pradicateurs, chacun en son Diocèse, de prædicer & admonester diligemment, & souvent le peuple de soy garder de tels abuseurs, imposteurs, & trompeurs, comme vrais instrumens diaboliques, commettans ces impietees & abominations par secrette assistance des malins esprits contre Dieu, & leur prochains, les admonestans & commandans aussi d'avoir en horreur & detestation tels meschans peches condempnes en premier de Dieu, & apres des hommes procedans seulement (comme dict est) de l'invention du diable, ennemy commun du genre humain, à quelq. couleur qui ce soit, de Divination, Magie, Mathematicq; Astrologie, Prognostication, Physionomie, Negromantie, Chiromantie, ou autres vil tres tant specieux que puissent estre: procedant cecy en grande partie de la justie & effect de tant d'heresies, & faulxes doctrines, & d'apostasies pullulantes par tout. Id est: Vide licet ut Praelati Ecclesiastici (quilibet in sua Diocesi) indilate Pastoribus & Concionatoribus injungant, ut frequenter & sedulo denuncient & populum commoneant, quo sibi à talibus veteratoribus, impostoribus & deceptoribus tanquam diaboli verè ministris caveant, has impietates & abominaciones committentibus, per occultam operationem malignorum spirituum adversus Deum & proximum, utque insuper horreant & detestentur enormia talia peccata ut à Deo primò & ab hominibus reprobata, quæ non nisi ex inventione diaboli (ut dictum est) ortum habent universi generis humani inimico, quocumque obtentu fiant, divinationes, Magia, Mathematicæ, Astrologia, Prognostici, physionomia, Necromantia, Chiromantia, aut alio demum quocumque titulo quamlibet specioso: his omnibus pro magna parte ortum ducentibus tanquam sequelis & effectis ex tot hæresibus perverſis dogmatibus & apostasiis quæ enascentibus.*

LV. Refert Martinus Delrio *lib. 3. Disquisit. Magicæ parte 2. q. 4. sect. 7.* formulam verborum inter milites Hispanos suo tempore usitatum, quæ quidam *Salvatores*, ut ferunt, (ait Delrio) sanctè viventes, & omnes gratis curantes, cum sola impositione linteorum, & certorum verborum recitatione utuntur.

Addit dein Delrio, super hac formula motam fuisse Ipris quæstionem, maxime, quia nullum naturale medicamentum accedebat; ac post examè de ea institutum, Episcopus Iprensis ejusque Consilarii, totam curationem hanc judicantur superstitionis & illicitæ, & prohibuerunt ne quis eam uteretur.

Dicit ibidem Delrio, quòd multis hæc damnatio injusta visa sit; sed ait ipse *immemorato*. Rationes subjungit, Nam hic effectus totus expectatur à Deo per modum miraculi, Sed miracula sic assidue & quasi ex consuetudine poscere, est Deum tentare. Deinde sancti viti, ad miracula edenda, non sunt usi certus, & quasi conceptus verborum formulæ; sed modò sic, modò aliter, prout Spiritus Sanctus suggererat. Tertio sanctitas hujus, non satis probata: sit enim plerumque ut malefici præclarè, specie externa, sanctitatem mentiantur; neque in hac rem milites satis idonei judices; quibus sancti videntur, qui extrinsecus peccata gravia